Ubinam autem locorum habitent animæ, quum è corporibus ſuis migraverint, uſque ad reſurrectionem; quidam ajunt, eas in cælum ferri, hoc eſt, in regionem ſpiritus, ubi ſupernæ virtutes morantur. Alii affirmant, eas in Paradiſum migrare, in locum ſcilicet deliciis refertum myſticarum Dei revelationum; animas verò peccatorum extra Paradiſum in profundo Eden, tenebris obrui. Alii dicunt, eas unà cum corporibus ſuis ſepultas jacere: nimirùm quæ in Deo per baptiſmum conſepultæ ſunt, in eodem nunc manere uſque ad diem reſurrectionis. Nonnulli exiſtimarunt, illas ad oſtium monumentorum ſtare, Salvatorem ſuum expectantes: ut quæ ſcilicet ſuorum reſurrectionem corporum norunt. Alii denique ajunt, eas ita ſe habere, quemadmodum qui ſomno capti ſunt; eâ ſimilitudine brevitatem temporis ſignificantes, quod etſi nobis longum videatur, iis tamen, veluti momentaneus nutus, breve eſt. Hæc Salomon ex Joanne Saba mutuatus videtur, cujus verba produxi Tom. I. pag. 438. Denique Beatorum animas pro vivis orare, auctoritate Theodori Mopſveſteni *Orat. in B. Theclam* oſtendit.

57. *De communi reſurrectione, deque fine mundi elementaris, & initio ſæculi novi.*

58. *Qua forma, & quafigura reſurgent homines in die reſurrectionis.*

59. *De fælicitate Juſtorum, & pæna peccatorum.*

60. *An Dæmones & peccatores, qui in Gehenna ſunt, poſtquam purgati, paſſique fuerint ſtatutamque pœnam perſolverint, miſericordiam tandem conſequentur, nec ne: & quandonam id continget.*

Inferni pœnas tandem aliquando finem habituras eſſe, ex Origenis errore complures hæretici in Oriente docuere. Stephanum Edeſſenum hujus erroris reum confutarunt S. Jacobus Sarugenſis & Xenajas Mabugenſis, ut obſervavi tom. I. pag. 303. & tom. 2. pag. 33. Theodorus Mopſveſtenus ac Diodorus Tarſenſis, Neſtorianorum parentes, etſi ab Origene abhorrentes, eandem tamen hæreſim tradidere, quorum ſententiæ hìc ſubſcribens Salomon, verba hæc profert.

Theodori *commentar. in Evangel.*

In futuro ſæculo, inquit, *qui bona hìc elegerunt, cum laude fruitionem bonorum recipient: mali verò, qui toto vitæ ſuæ tempore mala perpetrarunt, poſtquam pœnarum vi atque metu reſipuerint, bonaque eligentes, in malis, dum peccaverunt, non in bonis ſe perſtitiſſe didicerint, perque hæc ſcientiam optimæ doctrinæ timoris Dei conſequuti fuerint, bonâ illum voluntate apprehendere inſtructi; tùm demùm fruitionem divinæ liberalitatis merebuntur. Nunquam enim dixiſſet, donec reddas noviſſimum quadrantem, niſi fieri poſſet, ut pro peccatis pœnas ſolventes, ab iis liberemur: neque dixiſſet, vapulabit multis, & vapulabit paucis, niſi pœnâ peccatis commenſam ſolventes finem tandem habituri eſſent.* Diodori *in libro de œconomia*.